



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 75. Turcæ a Zigetho sæpius repulsi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

**Sæcul. XVI.** perarent, eamque propugnaculis firma-  
**A.C. 1556.** rent. Postea viginti novem præcipuis  
 ex interfectis Turcis capita fuere ab-  
 scissa, eaque ad hostium terrorem arci-  
 illata, ac in muri pinnis erecta exhibe-  
 bantur.

## §. LXXV.

*Turcæ a Zigetho sæpius repulsi.*

*Thuan. &c.  
Cont. l. c.*

Altero die Bassa nupera clade parum  
 territus urbem ingentibus quatuor  
 belli tormentis quatere, fossamque vi-  
 minibus implere suos milites jubet, ut  
 vallum e regione arcis excitare possit:  
 Verum huic operi sese pro viribus op-  
 ponebant obfessi, cruentumque ibidem,  
 ac pertinax certamen fuit initum, ubi  
 plusquam septingenti Turcæ desiderati  
 fuere: Itaque, cum armorum vis non  
 succederet, Halim Bassa in astu opem  
 quærebat; verum nec hac ratione fe-  
 licius Christianorum fortitudinem ex-  
 pugnare poterat, quamvis obfessos am-  
 plissimis pollicitationibus ad ditionem  
 hortaretur: incassum tamen erant om-  
 nia; quapropter die secunda Julii tor-  
 mentorum suggestus erigere, arcem-  
 que verberare incœpit, tantoque furore  
 per integros quinque dies tormenta ex-  
 plodere continuabat, ut obfessi prope  
 de salute desperarent, missoque Nuntio  
 a Ferdinando Rege suppetias peterent:

Inte-



Interea vallum prope arcem erexit  
continua verberatione dejiciebant, at-  
que eruptione facta ingentem illam li-  
gnorum struem, qua Turcae fossam ape-  
ruerant, repentinis flammis combusse-  
runt. Ab eo temporis articulo non-  
nisi tormentorum, & scolpetorum  
istibus res gerebatur usque ad vigesimam  
primam Julii diem, qua Halim  
Bassa, cum obfessorum pertinaciam nulla  
vi frangi cerneret, Babocensis obsidio-  
nis obtentu tormenta Quinqueecclesias  
versus noctu transferri jussit, ubi atrox  
sequebatur prælium, ac ferme extrema  
Turcarum clades, qua insuperhabita  
Bassa Zigethi obsidionem redintegrabat,  
quamvis illico a præsidiariis urbe  
erumpentibus repulsus fuerit.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1556.

### §. LXXVI.

#### *Turcae obsidionem solvere coæti.*

Evolutis aliquot diebus rursus impetu *Contin.*  
undique facto continuis octo horis *Chalc. l. 4.*  
pugnatum est, quin tamen obfessi ad *n. 48. p. 629.*  
dedendam, vel relinquendam urbem  
compelli possent, quo circa Halli Bassa  
omni spe potiundi oppidi abjecta die vi-  
gesima nona Julii fugienti similis præ-  
missis Quinqueecclesias belli tormentis  
ab obsidione discessit, non sine lacrimis  
ubertim profusis, prout Historicorum  
nonnulli referunt. Porro Turcarum

Hh 4 du-